

ad dexteram alter ad sinistram Celebrantis n. 4326 ad 3 die 23. Aug. 1766.

S. DIDACUS.

Occurrente festo translationis s. Didaci (dupl. min. ex concessione Alex. VII.) fer. 2. Rogationum cum alio festo dupl. min. et cum festo semidupl., festum translationis s. Didaci transferendum ad aliam diem non impeditam. n. 2988 ad 3 et 4 die 13. Junii 1682.

DIES.

1) Anniversarius.

Vd.: *Annivers.* (dies fixus.)

2) Assignatus.

Cf.: *Dies fixus; Translatio.*

Die 27. Septembris, in quo celebratur solemniter Festum et Officium sub ritu dupl. primae classis S. Cosmae et Damiani supradictae Basilicae Titularium, occurrit etiam Festum SS. Antimi, Leontii, Euprepri pariter Martyrum ac germanorum Fratrum eorundem S. Cosmae et Damiani, quorum omnium Sacra Corpora in eadem Basilica asservantur: quod quidem Festum colitur sub ritu dupl. maj., et celebrari consuevit die sequenti, nempe 28. ejusdem mensis Septembris: unde supplicatur, ut ita imposterum perpetuo servetur, ac si esset dies propria Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

„Pro gratia juxta petita“ n. 3901 ad 3 die 12. Junii 1717.

3) Cinerum.

Cf.: *Cineres; Dies octava* (non commem.)

Pro parte Monialium Benedictinarum Ecclesiae Sanctorum Cosmae et Damiani in Terra Tagliacotii Dioecesis

Marsicanae expositum fuit apud S. R. C., quod concessum fuit Congregationi Cassinensi, ut cum octava possit recitari officium s. Benedicti et S. Scholasticae etiam in quadragesima: et quia variae sunt opiniones circa celebrationem diei Cinerum, cum cadit infra octavam S. Scholasticae: quapropter dictae Moniales supplicarunt pro declaratione, ut infra, videlicet:

1. An tali die Cinerum in laudibus debeat fieri commemoratio octavae, relinquendo solitas commemorationes Sanctorum, preces ad Primam, Officium B. V. M., Psalmos graduales, et Orationes Horarum stando dicere?

2. An in tali officio, relinquendo commemorationem octavae, debeant solitas commemorationes recitari, preces ad Primam dicere, et Officio B. M. V. cum Gradualibus satisfieri, et Orationes horarum audiri flexis genibus, vel quomodo?

3. An Missa Conventualis debeat concordare cum Officio infra octavam et debeat dici de feria?

Et eadem S. R. C. respondit:

Ad 1. „Negative“.

Ad 2. „Serventur omnino Rubricae Fer. IV. Cinerum“.

Ad 3. „Dicenda Missa de Feria“.

N. 2973 die 24. Januarii 1682.

In Off. Fer. IV. Ciner. relinquendo commemor. Octavae debent Privilegiati dicere preces, psalmos, graduales etc. et servare omnino rubricas. Fer. IV. Ciner. S. R. C. 24. Jan. 1682.

Cf.: *Octava* (cessatio).

4) Festivus.

Ad dubium: An nomine diei festivi veniat in Caeremoniali Dominica quaecunque et quodcunque festum dupl. min. aut majus? S. C. resp.: Affirmative. n. 3664 ad 3 die 22. Sept. 1703.

5) Fixus.

Cf.: *Dies assignatus; Translatio festi perp. transl.* (decr. n. 4166; 4039.); *Calendarium; Annivers.* (dies fix.); *Martyres quadrag.*; *S. Mar. Magd. de Pass.*; *S. Barbara; Dies natalis.*

Quando a Sede ap. aliquod festum dupl. vel semid. institutum vel instituendum occurrat eodem die festo dioecesano ejusdem ritus, de instituto pro universali Ecclesia Officium prius est recitandum, et si non sint ejusdem ritus, Episcopus non potest in sua Dioecesi minus digno diem fixum assignare. n. 3463 ad 1 et 2 die 15. Mart. 1698.

Officia, quae debent transferri, non transferri ad diem fixam sed ad primam diem non impeditam juxta rubricas de transl. fest. n. 3008 ad 3 die 28. Novb. 1682.

Nemo valet assignare diem fixum Sanctis translatis sine speciali decreto S. R. C. Ita S. R. C. 28. Novb. 1682.

Nullum Officium transferri debet in diem fixum nisi aliter indultum fuit a Sede apost. S. R. C. 10. Jan. 1693.

Non licet PP. Capuccinis nec aliis cujusvis Ordinis regul., qui non utuntur Breviario PP. Min. Obs. in usum deducere rubricam in dicto Brev. anni 1696 n. 15 expressam: *Quando autem plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrant, ut translatio alicujus seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita, assignanda censetur in perpetuum pro die propria festi translatis respective.* Si quidem concessio facta utentibus Breviario Min. non extenditur ad non utentes. S. R. C. 28. Aug. 1706 in una PP. Cap. Prov. Leodien.

Cum pluries occurrant quotannis eodem die duo festa Sanctorum, quorum unum juxta rubricas est transferendum, petitum fuit ex parte Archiepiscopi et Capituli Hispalensis, ut quoties per-

petua est talis occurrentia, assignetur ei, quod transferendum est, dies propria et fixa, prima nempe dies non impedita. S. R. C. resp.: Sanctis, qui perpetuo sunt transferendi, sit assignanda dies fixa et commisit eidem Revdssmo. Archiep., ut pro unica vice deveniat ad hanc assignationem dierum. die 26. Novb. 1735.

6) Irae etc.

(*Cantanda in missa de Requ.*)

Vd.: *Missa de Requ. sol. (Ritus). Sequentia in missa de Requ.*

7) Natalis.

Vd.: *Dies fixus.*

Dies Natalitii si omnes habendi sunt, qui licet vere non sunt dies obitus, tamen ex decr. apost. assignati sunt festivitati alicujus Sancti veluti fixi et veluti propria eorum sedes. S. R. C. 28. Novb. 1682 in *Neapolitana.*

8) Obitus et tertius, sept. et trigesimus.

Vd.: *Officium Defunct.; Missa de requ. in die obitus etc.; Oratio pro def.; Missa de requ. in die 3. 7. et 30.*

Si trigesima vel septima aut tertia dies ab obitu defuncti incidat in diem dominicam, potest anticipari vel transferri in diem immediate sequentem, et ita semper debet enumerari a die obitus; si vero incidat in diem dominicam, in tali casu a die depositionis enumerandum erit, et in tertia, 7. et 30. semper canitur missa ex privilegio ut in die obitus. n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745; n. 197 ad 5 die 23. Maji 1603.

Vd.: *Missa de Requ. in die obitus in dominica.*

Ad dubium: An diebus 3. 7. et 30. a depositione defuncti, in quibus occurrit Officium duplex per annum, non tamen festivis de praecepto, celebrari possint Officium et Missa def-

et an praedicti dies numerari debeant a die obitus vel depositionis? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, dummodo sermo sit de missa cantata; ad secundam partem dies 3. 7. et 30. posse numerari a die obitus sive a die sepulturae juxta diversam Ecclesiae consuetudinem. n. 4336 ad 2 die 23. Aug. 1766.

9) Octava.

a) Non commemoratur.

Vd.: *Commemor. octavae; Commemor. (omit-tenda); S. Scholastica* (decr. de die 23. Jan. 1736). *Octava* (cessatio).

Ad dubium: Num facienda sit commemoratio diei octavae alicujus Sancti, de quo ex privilegio intra Quadrag. recitatur, quando praedicta dies octava incidit in fer. IV. Cinerum? S. C. resp.: Negative juxta alias decr. praesertim in Marsicen die 2. (4.) Jan. 1682 et in Einsidl. 29. Junii 1736.; n. 4900 ad 1 die 12. Sept. 1840.

b) An permittit aliud festum?

Cf.: *Festum fixum*.

Ad dubium: An festa affixa dominicis diebus v. g. Patrocinii, Raphaelis etc. possint celebrari in diebus octavis? S. C. resp.: Non possunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quae sunt concessa pro *locis et Ecclesiis particul.* ad eorum instantiam. At quando Officia praedicta sunt de praecepto pro aliquo statu sicuti sunt Officia plura B. V. M. concessa a. S. M. Benedicto XIII. pro Statu ecclesiastico affixa certis diebus, transferuntur. n. 4044 (alia dubia) dub. 10 die 5. Maji 1736.

Cum in die octava b. Joannis de Ducla, Compatroni Regni Poloniae incidat perpetuo festum s. Annae, qui dies magna cum devotione populi frequentatur, quaeritur: an debeat fieri

Officium de s. Anna? S. C. resp.: De die octava s. Joannis habendum esse Officium, s. Annae vero die prima non impedita. n. 4171 ad 3 die 15. Maji 1745.

c) Vesperae.

Cf.: *Octava; Patrocinium B. V. M.; Translatio; Vesperae de B. V. M.; Commemor. in vesp.; Praesent. B. V. M.; Commem. Omn. fid. def.* (missa; decr. n. 3496.); *Octava Corp. Chr.; Fest. ss. Nom. B. V. M.* (decr. n. 3565); *Vesp. dimid.; Festum SS. Nom. Jesu* (decr. n. 4445.); *Dedicat. Eccles.* (Off. etc. decr. n. 3931); *Transfiguratio D. N.* (decr. n. 4500).

Ad dubium: Utrum Dignitas, qua gaudent festa apostolorum et Angelorum, extendatur ad horum diem octavam, quando cum octava celebrantur, ita ut, concurrente die octavo in I. vel II. vesp. cum festo dupl. min. inferioris dignitatis, integras sortiatur vespere dies octavus cum sola commem. praecedentis vel subsequentis? S. C. resp.: *Negative*. n. 4401 ad 20 die 16. Febr. 1781.

d) Non transfertur.

Vd.: *Protector civitatis* (decr. n. 2311.); *Septem. dolor. B. V. M. in mense Sept.* (decr. n. 4541); *Commemorat. diei octavae; S. Januarii* (Officium; decr. n. 4097.); *S. Joachim* (transl. decr. n. 4175); *Octava Corp. Chr.* (privileg. decr. n. 4576 nota.); *Dedicatio Eccles.* (dies octava); *Octava privileg.* (decr. n. 4772).

Dies octava cujuslibet festi, quia non transfertur; excludit et transferri facit quodlibet festum dupl. sive majus sive minus, solisque cedit festis sol. I. vel. II. cl., nisi sit octava *privil.*, qualis est octava Epiph. Hinc apud Franciscanos, ubi festum s. Elisabeth. reg. Hung. celebratur cum octava, festum b. Delphinae occurrens in die octava, licet sit dupl. minus, transferri debet in primam diem non impeditam. S. R. C. 1 Mart. 1681.

Ad dubium: Quando dies octava

Sancti proprii cadit in festum Praesent. B. V. M., utrum transferendum sit festum B. V. M., vel solum fieri debeat comm. diei octavae Sancti proprii ut in simili casu refert Gavant. fieri Regii de s. Prospero, cujus dies octava est festum Visitat. B. V. M.? S. R. C. resp.: Transferendum esse fest. Praesent. B. V. M. juxta rubr. X. de transl. fest. n. 2 et in tabella de occurrentia, prout monet Gavant. sect. 3. c. 12. n. 20.; ibi enim aliter decrevit et specialiter indulgit S. C. in gratiam festi Visitationis B. V. M., quod ibidem colitur de praecepto; unde cum privileg. sit locale, non potest extendi de loco ad locum. S. R. C. 10. Jan. 1693.

Occurrente die octava Dedicationis cum festo Visitationis B. V. M. faciendum est Off. de octava translato Officio Visitationis. S. R. C. 21. Aug. 1688.

10) (Octavae) Ritus.

Cf.: *Vesperae dimidiatae*.

Dies octavae quarumcumque Festivatum (excepta die octavae Epiph. Paschae, Ascensionis, Corporis Chr.) sunt duplicia minora, ideo in pari concursu cum duplicibus minoribus per annum dimidiatas habent Vesperas. n. 2928 ad 12 die 7. Sept. 1680.

Dies octavarum Assumpt., Nativ. aliarumque festivatum B. V. M. octavas habentium, concurrentes cum officio dupl. min. habere debent integras vespere. n. 2943 ad 3 die 1. Mart. 1681.

Ad relationem: In Hispania ex Ind. ap. recitatur Off. de s. Juliano c. Conchensis cum octava; sed quia anno 1693 incidit fer. IV. Cinerum in diem octavam et secundum rubricam 7 de octavis in Brev. rom. adveniente Quadragesima cessat quaecumque octava, quaeritur: an in fer. 3. praeced. cessare debeat octava ad Nonam aut ad

Completorium ejusdem diei? S. C. resp.: In proposito Dubio Officium recitandum esse de die infra oct. usque ad Nonam, vespere autem debere esse feriales. n. 3277 die 17. Maji 1692.

Vd.: *Octava* (cessatio).

11) Quae putatur impedita?

Quum ex privilegio apost. Cathedralis Melitensis recitat Officium hebdomad. s. Pauli ap. Patroni princip. totius Dioecesis. qualibet fer. 4. non impedita Officio 9 II.; quaeritur propterea: an respectu talis Officii sit et dicatur dies impedita dies, in qua reponi debet Officium translatum sive dupl. sive semid. vel potius debeat ulterius protrahi praedictum Officium? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4866 ad 1 die 31. Aug. 1839.

DIGNITAS.

1) Cathedralis.

a) Assistens Episcopo.

Vd.: *Assistens Episcopi; Diaconi assistentes*.

b) Assistens missae sol.

Dignitates nolentes celebrare Missas pontificales absente Archiepiscopo, justa causa impeditae, possunt assistere in suo stallo in choro. n. 687 ad 4 die 12. Junii 1627.

c) Associatio.

Prior Collegiatae s. Joannis Lucanae in accessu et recessu Ecclesiae associari non debet a Canonicis usque ad aedes priorales. n. 4098 ad 2 die 28. Novb. 1739.

Cf.: *Usus Pontificalium* (decr. n. 1856 ad 6; et alia decreta).

d) Celebrans missam absente etc. Episcopo.

Cf.: *Missae sol. Dig.* (lumina); *Episcopus aegrotus et defunctus*; *Vesperae*; *Nativit. D. N.*; *Matut.*; *Canonici celebrantes*; *Archidiaconus*; *Purificatio B. V. M.*; *Dignitas secunda*; *Processio* (Dignitate etc.)

Ad Dignitates pertinet missas ab Episcopo celebrari solitas, eo absente vel impedito celebrare non ad Vicarium. n. 75 die 26. Apr. 1594; n. 258 die 8. Jan. 1605; n. 1283 die 12. Jan. 1641.

Et haec decreta habent Locum tam sede vacante quam plena. n. 268 die 11. Julii 1605.

Dictas Missas pertinere ad primam Dignitatem, et ita servandum, non obstante alio decreto. n. 611 die 31. Jan. 1626; n. 1539 ad 1 die 26. Aug. 1645.

Missarum sol. celebrationem ad Dignitates non ad Vicarium spectare. n. 186 die 25. Jan. 1603; n. 1173 die 20. Aug. 1639; n. 1177 die 20. Aug. 1639; u. 1753 die 29. Maji 1655.

Omni tempore, tam absente quam impedito Archiepiscopo et sede vacante ad Dignitates, non ad Vicarium, etiam quod sit de gremio Capituli, missas solem. celebrare pertinet et cogendum esse Vicarium, quatenus recuset, remediis opportunis. n. 187 die 25. Jan. 1603; n. 1148 die 16. Apr. 1639.

Functiones solemnes, quas Episcopus, si praesens esset, obiret, eo absente vel impedito spectare ad digniorem de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, dummodo sit in sacerdotio constitutus, non autem ad *Hebdomadarium*. n. 975 die 15. Decb. 1632.

Missas solemniore impedita prima Dignitate non ad *Hebdomadarium* sed ad secundam Dignitatem spectare, et impedita secunda ad alios successive, et illis deficientibus ad digniorem et

antiquiorem Canonicum. n. 924 die 5. Julii 1631; n. 262 die 11. Junii 1605; n. 275 die 16. Julii 1605; n. 285 die 16. Novb. 1605; n. 292 die 25. Febr. 1606; n. 309 die 9. Maji 1606; n. 482 die 1. Febr. 1614; n. 363 die 17. Novb. 1607; n. 366 die 19. Jan. 1608; n. 739 die 27. Mart. 1628; n. 373 die 15. Mart. 1608; n. 929 die 2. Aug. 1631; n. 4423 die 27. Maji 1786; n. 3719 die 4. Apr. 1705; n. 4064 ad 4 die 31. August. 1737.

Non ad Vicarium sed ad primam Dignitatem pertinere celebrare et alias functiones facere, quas, si praesens esset, Episcopus faceret. n. 335 die 16. Jan. 1607; n. 686 die 20. Maji 1627; n. 695 die 17. Julii 1627.

Contrariam consuetudinem esse abusum nec non synodale decretum minime sustineri. n. 1972 ad 1 die 29. Mart. 1659.

Decretum alias factum super functionibus supradictis contra Vicarium Ordinarii comprehendere et afficere etiam *Vicarium Capitularem* et dictas functiones spectare ad primam Dignitatem. n. 702 die 7. Aug. 1627; n. 930 die 2. Aug. 1631; n. 938 die 22. Novb. 1631.

Non posse primam Dignitatem impeditam alium sibi benevisum deputare loco sui pro functionibus faciendis, sed spectare et pertinere ad secundam Dignitatem ordine successivo. n. 1107 die 9. Decb. 1638; n. 1273 die 6. Oct. 1640; n. 3942 die 27. Julii 1720.

Pro Episcopo absente solemnes functiones ad primam Dignitatem et ea impedita, ad aliam proximam sequentem ordine successivo et non ad *Archidiaconum* spectare. n. 1174 die 20. Aug. 1639.

Ille, qui possidet Dignitatem et legitimo impedimento detentus munera

sibi incumbentia per se ipsum adimplere nequit, *neminem alium substituere potest*, nisi eum, qui immediate ei succedit. n. 2869 ad 5 die 26. Novb. 1678.

Episcopo aegritudine praepedito functiones ad Praepositum uti primam Dignitatem non ad Canonicum hebdomadarium spectare. n. 1600 die 23. Jan. 1649; n. 3900 ad 1 die 12. Junii 1717.

Missarum cantum in solemniorebus ad digniorem et successive seniores aliosque Canonicos, exclusis Coadjutoribus, pertinere. n. 1748 die 19. Decb. 1654; n. 3708 ad 1 die 23. Decb. 1704.

De muniis pontificalibus, quae a Dignitatibus et Capitularibus impleri nequeunt, Episcopo licet demandare alium sibi benevisum; secus de iis, quae a Dignitatibus et Capitularibus ipsis impleri possunt, quae alteri licet digniori in praedictis Dignitatibus aliorumque Capitularium Episcopo demandare non licet. n. 1802 die 10. Junii 1656.

Ad dubium: An celebratio Missae solemnis et intonatio hymni *Te Deum laudamus* occasione natalis Regis, publicationis pacis, reportatae victoriae et similibus, Episcopo non celebrante, spectent ad Decanum primam Dignitatem, vel liberum sit Episcopo alteri ex Dignitatibus vel Canonicis dictas functiones supplendas demandare, in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam“.

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3884 die 21. Martii 1716.

Nolente vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus maj. hebdom., Paschalis, Pentecost., et caeteris expressis in Caer. Ep. lib. 2. c. 34., prout etiam occasione processionis SSmi. Corp. Chr. et similibus celebrare

spectare ad primam Dignitatem, eaque impedita gradatim ad alias. n. 3595 ad 2 die 13. Aug. 1701; n. 3612 ad 2 die 11. Febr. 1702; n. 3900 ad 1 die 12. Junii 1717; n. 3855 ad 4 die 26. Aug. 1713; n. 3619 die 18. Mart. 1702; n. 3665 die 24. Novb. 1703.

Episcopo non celebrante in festivitibus solemniorebus, Praepositus, prima Dignitas Cathedr. Cremen., non tenetur ad celebrationem Missae et vesperrarum, sed decere; sed tenetur ad celebrandas vesperras tum primas tum secundas, quoties velit canere Missam et e contra, nisi sit legitime impeditus. n. 3811 die 8. Junii 1709.

Ad dubium: An sede Episcopali vacante spectet ad primam Dignitatem et successive ad alias gradatim celebrare functiones Ecclesiasticas in majoribus Festivitibus, quae, vivente Episcopo, ex dispositione Caeremonialis faciendae sunt per Episcopum, vel potius spectet ad Vicarium Capitularem vel alium Canonicum a Capitulo eligendum? S. R. C., auditis iterum informationibus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis referente eadem Emo et Rmo. D. Card. de Abdua rescripsit:

Spectare ad primam et successive ad alias Dignitates, etiam si non sint Canonici. Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 3855 ad 7 die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: 1. An Episcopo non celebrante in festivitibus solemniorebus Praepositus prima Dignitas Eccl. Cath. Maurianensis teneatur ad celebrationem Missae, nisi sit ipse absens vel impeditus?

2. An Capitulum condere possit Statutum, quo decernatur Praepositum primam Dignitatem teneri ad celebrationem Missae solemnis dictis diebus?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit:

Ad 1. „Teneri juxta alias Decreta“.

Ad 2. „Posse in omnibus“.
N. 5047. die 23. Maji 1846.

2) Collegiatae Eccles.

a) Celebrans in Eccles. Colleg.

Functiones principales spectantes ad Praepositum Collegiatae Albingan. ipso absente vel impedito vel nolente peragere, illas gradatim ordine successivo peragere debere Canonicum digniorem et hoc impedito digniorem Capellanum de massa Collegiatae et non posse Praepositum pro se substituere aliquem sibi benevisum. n. 2743 die 13. Julii 1675.

b) Extra Collegiatam.

Praeposito Collegiatae Dioecesis Praegen., habenti usum mitrae et baculi, licet paramenta sumere de altari et habere ministrum inserviente de candelam, quandocunque celebrat in locis suae jurisdictionis, extra vero eam non nisi quando celebrat in Pontificalibus de licentia Ordinariorum. n. 985 die 18. Junii 1633.

Cf.: *Missa sol. Abb. et Dignit.; Diaconus et Subd. Dignit. Colleg.*

3) Ut Diaconus et Subdiaconus.

Vd.: *Diaconus et Subd. Missae Canonicor. Cath.*

4) Incensatio.

Vd.: *Canonici Cathedr. (Incensatio.)*

5) Praeeminentia.

Vd.: *Synodus (sessio); Turnus; Capitulum (vox); Coadjutor Dignitat.; Episcopus titularis; Canonici (access. ad chorum).*

In die Purificationis B. V. M., fer. IV. Ciner., Dom. Palm., fer. V. in commun. gener. et VI. maj. Hebd. nullam deberi praeeminentiam Dignitatibus assist. cum cotta et almutia supra Celebrantem vel Ministros servientes altari

pro Diacono et Subdiacono dalmaticis indutos sed in singulis functionibus servandum Caerem. n. 3121 ad 5 die 20. Julii 1686.

Non licet Dignitatibus se induere cotta et almutia in stallis chori sed debent se induere in Sacristia et processionaliter cum Canonicis accedere ad chorum. n. 3121 ad 6 die 20. Julii 1686.

Recedendum a decisio sub die 16. Junii 1674, nempe competere praecedentiam Dignitatibus, habentibus Canonicatum, supra simplices Canonicos etiam antiquiores. n. 3856 ad 1 die 26. Aug. 1713.

6) Secunda.

(*Celebrans*).

BRUNDUSINA.

Quum Rmus. Brundusin. Archiep. pro Informatione et Voto requisitus super expositis ab Archidiacono Prima Dignitate Metrop. Eccl. Brundusinae responderit singula veritate inniti, ac proinde Votum suum adjecerit, ut juxta communem praxim et Decreta alias ab hac S. C. lata etiam in sua Brundusina Eccl. Metrop. constitueretur, ut in Festo S. Stephani Protomartyris, ut in Fer. II. tam post Pascha, quam post Pentecosten solemniter Missa celebraretur a secunda Capituli Dignitate, non vero a prima Dignitate, uti huc usque factum est, siquidem primae Dignitati competit jus vices supplendi Episcopi absentis in omnibus Functionibus, quae ad Episcopum ipsum spectant, preces ipsae per subscriptum Pro-Secretarium relatae quum fuerint in S. R. Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die habitis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi scripsere: „Servanda esse decreta et consuetudinem, quae communis est“. n. 5164 die 10. Jan. 1852.

DIRECTIO CHORI.

Vd.: *Rector chori; Chorus; Hebdomadarius.*

Absente Cantore, Canonico et Dignitate directio chori et exercere munia cantoris non spectat ad Subcantorem Capit. n. 2238 ad 1 die 4. Aug. 1663.

Non potuisse Episcopum Ruben. nominare Censores pro directione chori, sed hoc jus pertinere ad primam Dignitatem. n. 3021 die 20. Mart. 1683.

DIRECTORIUM.

Vd.: *Calendarium.*

Suffraganeus Episcopus non potest publicare, ut non observetur Directorium pro recitando Officio, quod est conforme Breviario romano; ac etiam majori ex parte antecessoris Episcopi absque consensu et licentia Metropolitanum vel privil. Sedis apost. n. 2682 ad 5 die 3. Mart. 1674.

DISCIPLINANTES.

In civitate Entamil. confraternitas Disciplinantium Fer. V. hebdom. maj. hora IV. noctis processionaliter ad visitandum Altare majus Cathedr. accedere solebat. S. R. C. resp.: Tolerandam esse laudabilem consuetudinem, sed ad evitanda scandala prohibendum esse mulieribus, ne nocte in Ecclesiam ingrediantur vel per civitatem discurrant. n. 256 ad 1 die 11. Decb. 1604.

S. DISMAS.

Vd.: *Sept. dolor. B. V. M. fer. VI. (transl. decr. n. 4754.)*

DISTRIBUTIO.

1) Candelar., cinerum etc.

Vd.: *Purificat. B. V. M.; Cineres.*

2) Pro missa conv.

Vd.: *Missa conv. (Celebr. in Cathedr. decr. 19. Aug. 1744.)*

3) SS. Oleorum.

Vd.: *Coena Dom. (Consecr. Oleor.; Distributio.)*

4) Quotidiana.

Vd.: *Vicarius; Chorus (absentia); Coadjutor Canon.*

DOCTORATUS.

Doctor Canonicus junior non est supra Canonicum sen. non Doctorem, vd.: *Canonici Eccl. Cath.; Processio (Cler. saec. int. se.); Annulus Doctoris.*

Ad dubium: Utrum Regulares, qui ad tramites Constitutionis Ordinis proprii assequuti sunt gradum Doctoris in S. Theologia, valeant legitime dimisso Religionis habitu, titulo Doctoris honoribus adnexis gaudere?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Per Religiosos tantum.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5035 ad 5 die 23. Maji 1846.

DOCTORES ECCLESIAE.

Ad dubium: Quinam pro doctoribus Ecclesiae intelligendi sunt? S. C. resp.: Intelligendos illos, in quorum Officio Ecclesia utitur Antiphona: *O doctor optime etc.* n. 4247 ad 2 die 7. Sept. 1754.

DOCTRINA CHRISTIANA.

Doctrinam christianam esse explicandam ante vespas, ut moris est. n. 2444 ad 4 die 9. Junii 1668.

DOMINE EXAUDI.

Vd.: *Minorista (ut hebdom.)*

**DOMINE NON SUM DIGNUS
IN S. COMMUN.**

Vd.: *Communio* (Qua lingua etc.)

DOMINE PRAEVENISTI etc.

Vd.: *Martyr.* (resp.)

DOMINICA.

1) Prima Adventus.

Vd.: *Dominicae Adventus.*

Dominica I. Adventus non patitur festum Patroni princip.; Vd.: *Patronus principalis* (transl. decr. 4596); *Patronus paroch.* (transl. Solemnitatis; decr. n. 4910); *Titularis* (fest. celebr.; decr. n. 2362); *Translatio festi 2. cl. in dom. privileg.*

2) In Albis.

Vd.: *Annuntiatio B. V. M.*; *Dedicatio Eccles. et dies incerta*; *Curnam dicitur Dominica in albis?* vd.: *SS. Trinitas*, (vesp. decr. n. 4604 nota.)

3) Commemoratio.

Vd.: *Patronus Confrat.* (Festum, decr. n. 4507); *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604).

In dupl. 1. cl. semper fit commemor. Dominicae occurrentis, de qua etiam legitur homilia, ne omittatur, etiam in Sabbato impedito Officio 1. cl. si occurrat anticipari Officium dominicae. n. 4175 ad 6 die 4. Sept. 1745.

4) Non fit commemor.

Vd.: *Missa vot. priv.* (dies, decr. n. 4188); *Non fit comm. in missa vot. pro re gravi in Cathedr. celebrata*, vd.: *Bened. Monial.* (missa; decr. n. 2419).

5) Homilia.

Vd.: *Dominica* (commemor. n. 4175.)

6) Infra octav. Corp. Christi.

Vd.: *Lectio nona de Sanctis*; *Col. par. in missa dom. inf. oct.*

7) Infra oct. Nativ. Dom.

Ad dubium: An praetermitti possit Officium Dom. infra Oct. Nat. D. N. J. C., quacumque die de ea fieri contingat, ut reponi possit Officium ritus dupl. a propria sede translatum, addita vero IX. Lect. et commemor. ipsius Dom.?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . respondendum censuerunt:

„Negative et juxta Decretum in Brixien diei 27. Jan. 1778 solum quando in Sabb. occurrit dies XXX. Dec., ac proinde fieri deberet de VI. die infr. Oct., reponi potest Offic. dupl. translatum, altam non exclusis commemor. quatuor Octavarum“.

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 24. Sept. 1842. n. 4947 ad 2.

Vd.: *S. Thom. Cantuar.* (decr. de die 1. Mart. 1681.)

8) Est fest. novem lect.

Sub nomine festi 9 ll. venit etiam Dominica. S. R. C. 12. Mart. 1618.

9) Licentia laborandi.

Concessionem licentiae laborandi diebus festivis urgente necessitate, quando ad Episcopum recursus haberi nequit, ad Vicarium foraneum spectare. n. 2869 ad 6 die 26. Novb. 1678.

Vd.: *Vacatio ab operibus.*

10) Palmarum.

De distributione palmar. et Celebrante, vd. *Purificatio B. V. M.*; *Cineres.*; *Benedictio palm.*

Dominica Palmarum non patitur Solemnit. festi Patroni vel Titul. princip.; vd.: *Patronus paroch.* (transl. Solemnit. etc. decr. n. 4910); *Titularis* (festum celebr.; decr. n. 2362); *Translatio festi 2. cl. in dom. pri-*

villeg.; *Episcop. ass. miss. sol.* (Evang. non legit); *Passio.*

11) Passionis.

Excludit octavam, vd.: *Octava* (cessat. decr. n. 4044).

12) Prima post Pentecosten.

Vd.: *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604).

13) Prima Quadragesimae.

Non patitur Solemnitatem festi Patroni principalis; vd.: *Patron. paroch.* (transl. Solemnitatis etc. decr. n. 4910.); *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604.); *Titularis* (festum celebr.; decr. n. 2362); *Transl. festi 2. cl. in dom. privileg.*

14) Prima Septembris.

LIMBURGEN.

Quum Rmus. Ep. Herinensis Vicarius Apost. Vicariatus Limburg. S. R. C. humillimis precibus rogarit, ut declarare dignaretur Dubium, quod hisce terminis conceptum proposuit, nimirum: utrum Dom. I. Sept. sit eadem pro Festo S. Angelorum Cust., ac pro historia de Scriptura occur., quando nempe Kalendas Sept. antecedit?

S. eadem C. in Ordinariis Comitibus ad Quirinale subsignata die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit:

„Eam esse, quae incidit Kalendis Sept., vel post eam diem“ die 24. Sept. 1842 n. 4948.

15) Privilegiata.

Vd.: *Patronus civit.* (decret. pro civitate Brixien.); *Excludit octavam*, vd.: *Octava* (cessat.; decr. n. 4044); *Excludit festa 2. cl.*, vd.: *Transl. festi 2. cl. in dom. privil. cadentis.*; *Titularis* (fest. celebr.; decr. n. 2362).

16) Quatuor temporum.

Dominicam quatuor temporum esse illam, quae Sabbatum quatuor tem-

porum immediate sequitur; non est prorsus ambigendum. n. 4146 die 31. Aug. 1743.

17) Quinta Octobris.

Quando October habet tantum quatuor dominicas, servetur omnino dispositio Brev. rom. et in fer. V., VI. et Sabb. hebdomadae IV. legantur lectiones de dom. V. continentis historiam martyrii ss. Machab. S. R. C. 5. Maji 1736 in *Einsidl.*

18) SS. Trinit.

Vd.: *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604).

DOMINICAE.

1) Adventus.

Vd.: *Commemor. in vesperis*; *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604 nota); *Patron. princip.* (transl. decr. n. 4596 nota).

2) Post Epiphaniam.

Ad dubium: Cum superest una Dominica post Epiphaniam, nec potest poni post Pentecosten, utrum, si tota hebdomada ante Septuagesimam, praeter feriam 2., quae simplex habet Officium, impediatur Officio 9 ll., poni possit in dicta fer. 2. homilia Sabbathi ante Septuagesimam? S. C. resp.: Satis esse provisum in Brev. rom. de dominicis n. 6 et per rubricam propriam positam ante dominicam 1. post octavam Epiphaniae, nempe: in casu Off. de dom. faciendum esse in primo Sabbato post Epiphaniam, festo dupl. vel semid. non impedito; alioquin, scilicet si dictum Sabb. esset impeditum, faciendum in prima die post dictam octavam, quae non reperitur impedita festo duplici; festum vero semid. in ea occurrens transferendum in primam diem similiter non impeditam. n. 3301 ad 16 die 10. Jan. 1693.